

2893

LITURGICI

2894

DCCCL

425 Codex membranaceus lat. Sec. XIII. Folior. 68. 4. luculente scriptus hanc in theca anteriore notam praefert: *Iste liber est beate Marie virginis in sancta Cruce videlicet in Austria. Et dicitur tractatus super missam optimus liber legentibus et etiam auscultantibus de diuersis materijs misse &c.* Pag. vero Codicis ult. legitur: *Iste Liber titulatur compendiarius misse.* Initium ejus est: *Missa a IIII. causis nomen accepit. duabus a legatione et duabus a missione.* Finis: *non deuotioni sed presumptioni ascribitur.* Difficile est inter tot, qui hoc argumentum versarunt, Autorem adsignare. Neque ille in folis *Missae* ritibus explicandis, tradendoque illorum sensu mystico fistit, sed latius in *Liturgiae* campos expatiat. Ita varia adfert de Officio Episcoporum et Ecclesiae gradibus, de Templis, Campanis, Sepultura, de Ordine Monastico utriusque Sexus, quae postrema Monachum fuisse arguunt. Germanum inde conjicias, quod de Templis fol. 41. p. 2. agens scribit: *Hec domus etiam Kiricha. id est. dominicalis appellatur.* De more antiquo Canonis in Missalibus Servatoris cruci suffixi iconem praemittendi fol. 4. p. 1. haec observat: *TE igitur ideo dicimus. quia deum quasi presentem aspiciamus. hic (hinc?) in libris crucifixum (e Germanico das Crucifix) depingitur.* In uniuersum plurima decerpit et iisdem quidem verbis e L. I. *Gemmae Animae*

Honorii Augustodunensis, cujus Exemplum Cod. DCCXCI. produximus, neque tamen eodem ordine, neque in Capita diuisa.

DCCCII

Codex partim membranaceus, 53^a partim chartaceus, lat. boh. Sec. partim XIII. partim XV. Folior. 374. 4. a diuersis conscriptus sequentia continet: I. in membrana manu Sec. XIII. *Tractatum de Officio Missae* per tres columnas scriptum, quarum dextra insignitur *Ordo* et enarrat succincte caerimonias in Sacrificio observari solitas, media insignitur *Mysterium* et exhibet *Excerpta e VI. Libris Innocentii III. Pont. Rom. de Officio Missae*, jam indicatis, laeva insignitur *Autor*, et promittit loca S. Scripturae, ad quae Ritus Missae adludunt. Autor Compilationis hujus nullibi exprimitur. Praefationem ille incipit iisdem cum *Innocentio cit.* verbis: *Tria sunt in quibus precipue lex diuina consistit &c.* Verum mox eum deserit et ita profequitur: *Spiritu sancto ergo docente de Officio misse primum videamus quid sit missa et unde dicatur. quid in ea agatur &c.* Atque plures ejusmodi Quaestiones congerens, in ipsa etiamnum *Praef.* ad eas respondet. Ipsi deinde Operis initium Col. 1. *Sacerdos celebraturus sollempnia missarum quosdam psalmos et orationes premitit &c.* Col. 2. *Quinque psalmos dicit secundum exortacionem psalmiste &c.* Col. 3. *Idem dominus traditurus disci-*

B b 2